

cardinalium, aliquibus tunc expressis vestimentis et utensilibus hujusmodi exceptis; ac quascumque facultates testandi et disponendi de vestibus, vasis ac aliis rebus et utensilibus prædictis, etiam ad favorem quarumvis ecclesiarum seu capellarum et locorum piorum ac personarum quarumlibet, illaque ad hæredes transmittendi per ipsum Urbanum et alios Romanos Pontifices prædecessores suos quomodocumque concessas, quæ suum effectum sortitæ non fuerant, ad prædictæ suæ constitutionis terminos reduxerit et, quatenus opus foret, in iis quæ dictæ suæ constitutioni adversarentur, cassaverit et annullaverit et alias, prout in eadem constitutione, cujus tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, uberius continetur.

» Nos, ne ob præmissa impediatis quominus de vestimentis, ornamentis, vasis, rebus et utensilibus prædictis, testamentaria seu alia voluntate, ut infra disponere possis, providere atque specialis favore gratiæ prosequi volentes, motu proprio et ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, circumspectioni tuæ de omnibus singulis mitris, pluvialibus, planetis, tunicellis aliisque paramentis et ornamentis ecclesiasticis, necnon crucibus, candelabris, imaginibus, patenis, vasis, vasculis, etiam sacris et benedictis seu consecratis, et aliis rebus ac utensilibus divino cultui dicatis seu destinatis, etiam argenteis, aureis seu inauratis, tam capellæ tuæ private, quam iis quibus in capellis, cæremoniis, processionalibus et aliis functionibus pontificiis usus fuisti et in futurum uteris, ubicumque existentibus, et quocumque modo, via, jure, causa et forma ad te nunc et in futurum spectantibus quomodolibet et pertinentibus, cujuscumque qualitatis, valoris, speciei et conditionis fuerint, quæ ad dicam sacristiam, ut præfertur, post obitum tuum pertinerent, ac etiam de quadam parte quæ a caudariis prætendi solet, eodem prorsus modo, quo tibi de cæteris bonis tuis et rebus auctoritate apostolica concessum fuerit, testandi et disponendi, sed non tamen ab intestato ad hæredes tuos transmittendi, ac dummodo de illis in favorem alicujus ecclesiæ seu capellæ vel loci pii disponas, ac de hac dispositione et voluntate tua per duos saltem testes vel per schedulam manu tua subscriptam, vel per aliud quodcumque naturalis probationis genus certo constet; *Salvaque insuper in præmissis, quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas aut patriarchales duntaxat quibus præfueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione apostolica in titulum, administrationem seu commendam obtinueris, dispositione constitutionis sanctæ memoriæ Pii PP. V similiter prædecessoris nostri sub datum anno in carnationis dominicæ 1567, tertio Kal. septembris, pontificatus sui anno secundo, plenam et amplam facultatem tenore præsentium concedimus et impartimur.*

» Non obstantibus prædictorum Clementis et Urbani prædecessorum nostrorum ac præ mem. Pii

PP. IV prædecessoris pariter nostri de gratiis quaecumque interesse camere apostolicæ concernentibus, in eadem camera intra certum tunc expressum tempus presentandis et registrandis, ita ut præsentibus litteræ ibidem presentari registrari nunquam necesse sit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus illis quæ in litteris super facultate testandi de aliis et bonis tuis tibi tributa emanatis concessa sunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 23 decembris 1839, pontificatus nostris anno nono.

— A. card. LAMBRUSCHINI.

Cf. *Analecta juris Pontificii*, serie III, col. 950, ubi narratur sacram Congregationem Concili pluries decrevisse valorem ornamentorum et sacræ suppellectilis, inter bona mobilia episcopi defuncti non existentium, prælibandum esse, in gratiam ecclesiarum cathedralium, de successione hæreditaria; et docetur nulla esse testamenta codicillosque quorum virtute episcopi relinquere prædicta ornamenta sacramque suppellectilem, sive personis ecclesiasticis, sive locis etiam piis, in præjudicium ecclesiæ suæ cathedralis, attentarent.

ADNOTATIO XXXVI.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, De sepulturis, § I, n. 8; pag. 569.

DE LOCO SEPULTURÆ IN ECCLESIA DATO.

Retinenda sunt verba Ritualis romani: « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio retineatur, et ubi fieri potest restituatur. At vero, ubi locus sepulturæ dabitur in ecclesia, humi tantum detur, cadavera autem prope altaria non sepeliantur. » In quacumque ecclesia sepultura eligatur, ex constitutione S. Pii V, *Cum primum*, 1 april. 1566, § VI, defuncti corpus semper collocandum est in tumba profunda infra terram, et capsæ omnes, depositæ, ac alia cadaverum conditoria, super terram existentia, amovenda sunt. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 493.)

ADNOTATIO XXXVII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § I, n. 19; pag. 572.

DE SEPULTURA RELIGIOSI EXTRA CLAUSTRA DEFUNCTI.

» Exponatur quid praxis ferat, tam cum cadaver religiosi, extra claustra defuncti, commode deferri possit ad illius monasterium, quam cum non possit vel ob notabilem distantiam locorum, vel ob periculum corruptionis ejusdem cadaveris.

» In primo igitur casu deferri debet ad ecclesiam sui ordinis, etiam parochis inconsultis, ut respondit S. cong. Conc. ad decimum dubium inter cætera excitata a parochis Bononiensibus, 2

julii 1620, lib. XII Decretor. fol. 45, ita tamen ut asportatio privatim fiat sine cruce et processione, ut de praxi etiam Romæ servata testatur Mathæucci, *Officialis curiæ*, cap. XLVIII n. 16. Si autem fieret cum pompa et processionaliter, consuetudo est ut interveniat parochus, card. Petra ad constit. IX Innocentii III, sect. unio. n. 11. Quocumque autem modo asportetur, monasterium nihil tenetur solvere eidem parochi ratione funeris, licet ab eo administrata fuerint religioso infirmo sacramenta viatici et extremæ unctionis, ut declaravit eadem Congregatio, 22 maii 1615; Reiffenstuel, hoc eod. tit. § I, n. 19.

» In secundo casu, vel religiosus sibi non elegit sepulturam vel elegit, ut ex decretali *Religiosi* hoc tit. eligere potest, si decesserit in loco valde remoto ut Glossa hic. Si primum, sepeliri debet in parochiali intra cujus limites morabatur, ead. Glossa ad eand. decretal. versu *Nota primo*, et cum ea doctores communiter relati a Petra loc. cit. n. 31, quidem expensis peculii ejusdem religiosi pro exequiis peragendis, et, si eo careat, expensis monasterii cujus erat filius vel in quo degebat, vel familiæ, si bona in communi possideat; sin minus, gratis sepeliendus est ut reliqui pauperes, idem Petra n. 36.

» Si secundum, nulla inde oritur quæstio quominus non debeat in ea sepeliri, quemadmodum sepeliri debent quicumque ex dispositione juris communis jus habent sibi eligendi sepulturam.

» Sed hic quæri posset quæ distantia requiritur inter locum, in quo religiosus et vivis decessit, et locum ubi situm est monasterium, ita ut cadaver commode et sine periculo ad illud asportari non possit. Cum nihil hac de re jure cautum sit, conveniunt doctores id remittendum esse arbitrio viri prudentis, quamvis non desint qui asserant remotum locum dici tantum illum ad quem per unius diei iter cadaver transferri nequeat, Petra loc. cit. n. 31.

» Si autem queras an, vi Bonifacianæ sanctionis *Religiosi*, hoc tit. interdicta sit electio sepulturæ etiam religioso a religione expulso, negativam sententiam satis solida tuetur laudatus Petra loc. cit. n. 37, his verbis: « Religiosus tamen expulsus seu ejectus, quia relinquatur a religione et si religiosus non esset, quando a prælato non recusetur, habet velle et nolle ab ipsa obligatione relaxatum in aliquibus; ideo potest ubilibet sibi sepulturam eligere, cujusmodi potest pecuniam expendere, sine obligatione ad restitutionem, permissa eidem libera suorum honorum administratione, Lessius *De justis et jure*, lib. II, cap. XL, dub. XV, n. 113; Molin. tract. II, disp. 276 et in his terminis, Murga, cit. disquisit. § VIII per totum.

» Sed objici potest: religiosus ejectus ob malos mores, seu ex delicto, quoad favorabilia habetur pro vero ejecto et laico, sed quoad odiosa remanet religiosus professus, puta in votis et aliis

» similibus, Cardinal. in Clement. 4, § *Quia vero*, in prima quæst. *De statu Monach.* Sanchez ad præcepta Decalogi, lib. VI, cap. IX, n. 43; *Addit. ad Burat.* dec. 756, § 1. finali. Sed nihil urgeat objectio, nam, ut dixi, incapacitas eligendi sepulturam non provenit directe ex voto, sed ex privatione velle et nolle, quod religiosus non habet ex se sine superioris consensu. Cum enim ejectus habeatur pro derelicto a religione, videtur ei permissa administratio, et remissum in pluribus velle et nolle, etiam in electione sepulturæ; quia cum religio eum expulerit, videtur eo magis nolle ejus corpus cum illis religiosorum sociari, et sic relaxasse facultatem eligendi sepulturam in alio loco, ne sepultura careret. Rursus hæc potius est poena ne sepeliatur in sepulcro religiosorum, quam favor ut eligat aliam sepulturam. (Giraldi, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 495.)

ADNOTATIO XXXVIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § II, n. 41; pag. 577.

DECISIONES CIRCA ELECTIONEM SEPULTURÆ.

Decreta sacræ Congregationis concilii:

» I. Se sia valida l'elezione della sepultura che si fa, nella presenza del parroco da chi è sano o infermo.

» II. Se al valore della elezione della sepultura si richieda il testamento nell'ultima volontà, ovvero basti che si elegga innanzi per altro atto pubblico che non sia testamento.

» III. Se sia nulla essa elezione, quando si elegge eziandio per testamento fatto in vita e non in morte.

» IV. Se chi ha cappella di sua famiglia con propria sepultura, morendo senza elezione di sepultura, si debba seppellire nella cattedrale.

» V. Se sia valida l'elezione della sepultura fatta alla presenza di due o più testimonij.

» VI. Se sia valida l'elezione fatta per nutum, et per signa, in caso che taluno non possa parlare.

» VII. Se li fratelli della confraternite si possono seppellire nella sepultura della loro chiesa, non facendosi elezione d'altra.

» VIII. Se l'elezioni della sepultura, le quali de jure præsumuntur, come quella della moglie rispetto al marito, de' figli rispetto al padre e loro maggiori, de' schiavi e simili rispetto ai padroni, e simili, siano valide. Che è quanto dall'Eminenze vostre benignamente si desidera dichiarare, ed il tutto etc...

» Queritur quid ad singulas prædictas dubitationes respondendum.

» Die 13 februarii 1666, S. Cong. Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium conc. Trid. interpretum

» Ad I, censuit esse validam, dummodo paro-

chus non attestetur ad proprium commodum. Ad II, censuit non requiri necessario testamentum. Ad III, censuit non esse nullam. Ad IV, non esse sepeliendum in cathedrali. Ad V, esse validam. Ad VI, esse validam, dum sufficienter constet de voluntate eligentis. Ad VII, negative. Ad VIII, censuit, quatenus electa non fuerit sepultura, uxorem in sepultura ultimi viri sepeliendam, filios vero in sepulcro majorum, servos autem in parochia. Ita reperitur in Registro decretorum lib. XXV, fol. 29 ejusd. S. Congregat. *Neapolitana, juris funerali.*

» Confratres et consorores paucis abhinc annis consueverunt collective et collegialiter per publicum instrumentum eligere sepulturæ suæ locum in aliis ecclesiis, et signanter regularium, in quibus eadem sodalitates erectæ reperiuntur. An hujusmodi electio sepulturæ, collective et collegialiter facta, sustineatur in casu de quo agitur? Die 16 maii 1682, S. C. Eminentiss. S. R. E. cardinal. conc. Trid. interpretum respondit sustineri electionem sepulturæ, collective factam per confratres individualiter consentientes; et die 19 decembr. ejusd. anni 1682, reposita hujusmodi causa, utraque parte ore et scriptis informante, stetit in decisio, addita clausula *revocabiliter tamen*. F. Card. Columna, præf. A. Altovitus, secretarius. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 484.)

» Est hic notandum quod si pater elegerit sepulturam pro filio impubere proxime morituro, et hic postea convaluerit et factus sit puer, non valebit electio, nisi idem eam ratam habuerit, ut declaravit congregat. episcop. et regular. die 20 januar. 1640, teste Matthæucci, *Offic. cur.* cap. XLVIII, n. 24.

» Quamvis autem id jus in decretali *Licet*, hoc tit. in 6. tribuatur patri, ex decreto tamen Congr. conc. in *Placentina*, 27 nov. 1649, relato ab eodem Matthæuccio, loc. cit. n. 25, competit etiam matri, ubi viget consuetudo, ibi: Ad I, respondit matrem, si consuetudo loci id non habeat, eligere non posse. Et alias, prout in dict. const. Innoc. X, ad dubium an mater pro filiis impuberibus possit eligere sepulturam? respondit non licere matribus eligere sepulturam pro filiis impuberibus, cessante legitima consuetudine, cum hoc tamen discrimine quod cum patri assistat jus ex allatis cap. *Licet* jam cit. et *De uxore* hoc tit. § *Utrum pater*, respectu illius sufficit ut consuetudo præscripta sit spatio decem annorum, respectu vero matris, cui id jus non assistit, requiritur ut præscripta sit spatio quadraginta annorum, prout notavit Sperellus decis. LXIV, n. 20.

» Notandum est tamen quod, vi hujus respectivæ consuetudinis, valebit electio sepulturæ, si facta fuerit a patre vel matre ante mortem filii impuberis, non vero post, ut declaravit S. C. Episcop. et regular. in *Fulginatensi*, 27 oct. 1587, et aliis causis.

» Si autem quæras in qua parochiali ecclesia

sepeliendi sint infantes, qui nutricibus, extra propriam parochiam, alendi dantur, crederem desumi posse regulam a statuto cleri Romani, nisi aliter locorum consuetudines et municipalia statuta disponerent, quod, prævio examine congregationis particularis a Clemente XI deputatæ, legitur in additionibus ejusdem statuti § VII et VIII ibi: « In-
» fantes, qui nutricibus alendi extra propriam pa-
» rochiam dantur, retinent domicilium in parochia
» parentum atque ad illam pertinent, licet in alie-
» na parochia decedant. Patre vero orbatos, quo-
» usque apud ipsam matrem aluntur, licet in
» potestate tutorum non matris existant, de paro-
» chia matris non tutorum esse declaramus. Si
» nutricibus alendi extra propriam parochiam den-
» tur a matre, domicilium in parochia matris; si
» vero utroque parente caruerint, domicilium in
» parochia tutorum, non vero nutricum, reti-
» nere declaramus. Quod si nec tutores ha-
» beant, in parochia in qua decedunt tumulen-
» tur. »

» Si iterum quæras in qua ecclesia sepeliendæ sint educandæ, decedentes in monasteriis monialium, non electa sepultura, nec habentes sepulcrum majorum, S. Congr. in *Feretrina*, 21 april. 1742, ut in Thesaurio resolut. ejus S. cong. T. II, p. 68, declaravit sepeliendas esse in parochiali ecclesia, intra cujus limites situm est monasterium, non in ecclesia monialium, in qua tamen sepeliri poterunt, si ibi eam sibi elegerint; et tunc parochio ejusdem parochiæ debetur tantum quarta funeralis. Id ipsum dicendum est de sæcularibus mulieribus in iisdem monasteriis vel famulatus, vel alia quacumque causa et legitima facultate commorantibus et ibidem decedentibus, ut disponitur in additionibus ad dict. statutum Romanum, cap. III, *De jure eligendi sepult.* ad § IX. (Ibid. sect. 488.) »

» Romæ ipso facto incurrunt excommunicationem, reservatam Urbis vicario, sæculares quicumque et confratres societatum sæcularium, inducentes quemquam ad eligendam sepulturam in propriis confraternitatibus ecclesiis, vel sepulcris, vel ut jam electam non mutant; non absolvendi nisi facta restitutione cadaveris et omnium emolumentorum, ex decreto Clementis XI, 22 aug. 1708, ut videre est in statuto cleri Romani cap. III, *De jur. elig. sepult.* in addit. ad § XXVIII. (Ibid. sect. 492.) »

» In decretali *Cum quis*, hoc titulo, cum declarat Bonifacius VIII novam posse eligi sepulturam, antiqua dimissa, nomine antiquæ intelligenda est sepultura non parochialis, sed majorum. (Ibid. sect. 493.) »

Cf. cap. 3, *Cupientes*, in Clement. *De pœnis*, quo plectuntur excommunicatione ipso facto incurrenda, et quidem Papæ reservata, clerici sive sæculares sive regulares aliquem inducentes ad eligendam sepulturam.

ADNOTATIO XXXIX.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § II, n. 45
pag. 578.

DE QUARTA CANONICA PAROCHO DEBITA IN CASU
DUORUM DOMICILIORUM.

« Quoad divisionem portionis seu quartæ inter ecclesias parochiales, si sint plures, in decretali *Cum quis*, hoc tit. præscriptam, quod contingere potest cum quis duo domicilia æqualiter inhabitat, verbi gratia per sex menses in uno et per sex menses in altero, est in viridi observantia, etiam in Urbe, ut in cit. statuto cleri Romani cap. III, § XIX, quæ tamen æqualitas non mathematicæ sed moraliter intelligi debet, ut ibid. explicatur.

» Si vero quis inhabitet domum habentem unum ingressum intra unam, et alterum intra aliam parochiam, tunc portio canonica integra debetur parochiæ, intra quam est principalior ingressus. Aloys. Ricc. in *Prax. for. eccl.* decis. 333 in prima edit. resolut. 510 in secunda edit. et ita etiam decisum fuit ab Alex. Sperelli, 10 sept. 1693, tunc vices gerente, favore capituli S. Mariæ ad martyres de Urbe, contra capitulum S. Eustachii, respectu clarissimæ familiæ D. Virginii marchionis Crescenzi, cujus palatium principalior ingressum habet intra parochiam dictæ Sanctæ Mariæ. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 493.) »

ADNOTATIO XL.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § III, n. 58;
pag. 581.

AN JUS PAROCHORUM QUOAD PORTIONEM CANONICAM SE EXTENDAT AD EA QUÆ REGULARIBUS OCCASIONE FUNERIS OBYVENIUNT.

» In extravag. *Super cathedram*, eod. tit. præcipitur ut de omnibus et singulis quæ per ultimam voluntatem, vel occasione funeris, fratribus Prædicatoribus et Minoribus obvenierint, debeatur parochis portio canonica, ac etiam de illis « de quibus » quarta seu portio canonica dari vel exigi non » consuevit, vel non debetur de jure. » Sed huic derogatum est respectu Prædicatorum per privilegium Sixti IV const. *Regim.* 1474, et respectu Minorum tam a dicto Sixto, const. *Regim.* 31 aug. ejusd. anni, quam a S. Pio V, *Elsi mendicantium*, 16 maii 1567; et respectu quorumcumque aliorum ordium regularium, quatenus dicta Bonifaciana decretalis ad eos extendenda esset, ac etiam respectu ecclesiarum tumulantium, derogatum est nedum a contraria consuetudine, sed novissime etiam a Benedicto XIII, const. *Romanus Pontifex*, quarto calendas maii 1725, vi cujus nomine funeralium ad effectum detrahendi quartam debitam defuncti parochio, veniunt ea tantum quæ cum funere deferuntur circa cadaver a domo ejusdem defuncti ad Ecclesiam tumulantem. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 498.)

ADNOTATIO XLI.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § II, n. 69;
pag. 584.

ALIQUID PETERE ET ACCIPERE PRO SEPULTURA
HONORATIORI LICITUM EST.

« In decretali *Abolenda*, hoc titulo, præcipit Pontifex ne aliquid exigatur pro sepultura effodienda Verum hæc prohibitio, et quidem sub pœna simoniæ, locum habet si aliquid exigatur pro sepultura, seu pro loco ordinario et publice destinato ad fideles sepeliendos, non vero pro loco honorabiliori seu extraordinario, defuncto non debito; qui ex communissima praxi vendi potest, sicut et capella pro construenda sepultura, etiam sine beneplacito apostolico, ex decreto Congr. conc. 6 sept. 1659 in *Meliten. alienation.* relato a cardinali Petra ad const. Pauli II, sect. 11, n. 18; quod tamen beneplacitum requiritur, si concedatur usus capellæ, seu sepulturæ, jam constructæ, ibid. n. 19. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 491.) »

ADNOTATIO XLII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § III, n. 97
pag. 590.

QUO CASU EXCOMMUNICATIS DANDA SIT ECCLESIA
TICA SEPULTURA? QUID DE USURIIS ET DE DUL-
LANTIUS?

« Decretali 12 *Sacris*, hoc titulo, in qua statuitur ecclesiastica sepultura non donari debere excommunicatos, nisi in articulo mortis Ecclesia reconciliati fuerint, et, si non reconciliati fuerint, exhumanda esse eorum cadavera, si discerni possit, accessit decretalis Gregorii IX, relato in cap. III, hoc titulo, idem statuens, nedum quoad excommunicatos, sed etiam quoad alios ibidem expresso nisi absoluti fuerint a proprio presbytero, id est, parochio.

» Circa absolutionem obtinendam a proprio parochio, ut hic statuit Gregorius, hodie satis est nisi absoluti fuerint a quocumque sacerdote, juxta Trident. cap. VII, sess. XIV, de pœnitent. Imo non est eis ecclesiastica sepultura deneganda, si evidenti pœnitentiæ signa dederint, ut Innocentius III declarat in decretali cap. 28, *A nobis, De sentent. excomm.* dummodo tamen post mortem absolvantur ab eo a quo vivi absolvi fuissent.

» Hanc praxim absolvendi excommunicatos post mortem servat etiam sacra Pœnitentiaria; absolutionem tamen hodie committere non solet nisi ad effectum sepeliendi cadaver in loco sacro, et tunc quidem in forma publica, juxta præscriptum in prædicta Innocentii decretali.

» Notat tamen Thesaurus, *De pœnis ecclesiast.* part. I, cap. XXV, respondeo 5^o: « Quod si excommunicatio seu censura erat occulta, vel saltem » non denunciata, neque ob notoriam clerici per-

» cussionem, multi dicunt quod non indiget mortuus absolute, quia absolutio datur, non mortuo directe, cum ipse sit jam solutus vinculo » censuræ quoad se, sed tanquam licentia fidelibus vivis, cum eo communicandi, quæ non requiritur, si non erat vitandus juxta extravag. Martini V, *Ad vitanda*, et ita Navarr. cap. xxvii, » n. 271. Tamen æstimo etiam tunc fore utilem » absolutionem et esse concedendam, si signa edit contritionis, ut Marta loc. cit., et dict. cap. » *A nobis.* »

» Hoc autem indultum sepeliendi prædictos omnes, si poenitentes decesserint, non suffragatur publicis usurariis, nisi prævia usurarum restitutione, vel saltem præstita cautione ab ipso vel ejus heredibus de restituendo, quamprimum fieri poterit, pro viribus patrimonii, ut ex cap. 3, *Quia in omnibus, De usuris*; et cap. 2, *Quamquam*, eod. tit. in 6.

» Neque decedentibus ex causa duelli, etiam extra locum conflictus, ut declaravit Benedictus XIV, const. *Detestabilem*, quinto idus novemb. 1752, ibi: « Præterea decernimus et declaramus sepulturae sacræ privationem, a sacrosancta Tridentina synodo inflictam morientibus in loco duelli » et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam » ante sententiam judicis, a decedente quoque extra locum conflictus, ex vulnere ibidem accepto, » sive duellum publice sive privatim indictum » fuerit; ac etiamsi vulneratus ante mortem non » incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerit, sublata » episcopis et ordinariis locorum super hac poena » interpretandi ac dispensandi facultate. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 490.)

Ad hæc Benedicti XIV postrema verba auctor. *Prælect. jur. canon. in semin. S. Sulpitii hab. sec.* edit. Parisiis, Lecoffre, 1862, tom. III, pag. 198, alludens scripsit: « Quod ad privationem sepulturae ecclesiasticæ attinet, difficillimum est in praxi urgere severitatem canonum erga illos qui ante decessum signa poenitentiae dederunt; » cui adstipulatur Eminentiiss. cardinalis Gousset, archiepiscopus Remensis, in sua *Theolog. moral.* n. 636, edit. anni 1858. Utrum sane, virtute scilicet consuetudinis ubique apud nos receptæ, Sedis apostolicæ iudicio illud declarandum manet.

« Advertendum tamen, inquit Scavini, poenas hujusmodi non incurri nisi ob duellum stricte sumptum, id est *de condicis*, convento loco et tempore; non vero ob conflictum quemcumque improvisum, quamvis pugnantibus ex eodem rixæ impetu ad locum aliquem idoneum ex æquo perrexerint, prout declaravit S. C. 5 oct. anno 1744. *Theolog. mor. univ.* edit. Parisina 1853, Lecoffre, tom. III, pag. 90.) »

« Quod spectat ad satisfactionem parti læsæ præstandam ab hæredibus, quam hic Innocentius et Gregorius exigunt, hoc non est intelligendum de quibuscumque excommunicatis, sed de iis dum-

taxat qui excommunicationis vinculo innodati erant propter delictum vel contractum ex quo alteri temporale damnum provenerit. » (Giraldus, *ibid.*)

ADNOTATIO XLIII.

Lib. III. Decretal. Tit. XXVIII, § III, cod. n. 371, pag. 390.

DE CADAVERUM DIVISIONE ET INCINERATIONE.

« In decret. *Detestandæ* Bonifacii VIII inter extravag. comm. reprobatur usus illorum qui corpora nobilium, aut dignitate insignitorum, præsertim peregre morientium, exenterant, et membra tum vel in frusta concisa aut ignibus decocta, et tegumento carnis ab ossibus excusso, ad suas vel alienas remotas partes mittunt sive deferunt tumulanda. Ideoque statuit Pontifex ut, si quis cujuscumque status aut dignitatis in locis catholicis de cætero moriatur, nequaquam hujusmodi abusus observetur, sed defunctorum corpora ad locum ubi elegerint sepeliri deferantur, vel in loco ubi decesserint vel vicino sepeliantur ad tempus, incineratis demum corporibus, aut alias ad locum ubi sepulturam elegerint deferendi. Denique in contravenientes excommunicationis sententiam fert, ipso facto incurrendam, Papæ, excepto mortis articulo, reservatam. Illum autem de cujus mandato ipsius corpus tam inhumaniter tractatum fuit vult ecclesiastica carere sepultura.

» Hanc decretalem, notat hic cum Navarro Wagnerek, valde credibile est non esse passim receptam, additque « id certum est, quod idem Navarr. » cap. xxvii *Manual.* n. 105, asserit, ejusmodi » exenterationem et divisionem cadaverum non » esse per se malam et illicitam, ac posse fieri » sine ulla prohibitione in terris infidelium, ubi » non sunt sacræ sepulturae, ideoque Bonifacius illam restringit ad loca catholica. Neque habet locum cum hæc decretalis in eo qui facit id alio fine, » v. g. anatomie aut fœtoris tollendi aut medicamentum inde componendi causa, aut ut debitum » honor exhibeatur cadaveribus regum, principum, » magnatum qui frequenter petunt corpora sua dividi et alibi sepeliri cor, alibi alia membra. Non » vult vero Pontifex illos gaudere ecclesiastica sepultura qui corpora sua ita tractari jubent, in » poenam mandati quod ante mortem dederunt de » cadavere suo exenterando, vel solum in exemplum ad alios ab hoc usu facilius absterrendos. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 497.)

ADNOTATIO XLIV.

Lib. III. Decretal. Tit. XXIX. De parochiis et alienis parochianis, n. 8; pag. 392.

DE PAROCHIS AMOVIBILIBUS.

Merito docet auctor noster quatuor requiri ad constitutionem parochiæ, seu ad hoc, ut Ecclesia

aliqua dicatur, sit, et probetur parochialis. I. Ut auctoritate Papæ vel episcopi sit erecta. II. Ut certus locus ac districtus cum certis limitibus ab episcopo determinetur. III. Ut unum solum ac perpetuum rectorem seu parochum habeat. IV. Ut cura animarum et potestas poenitentialis competat soli rectori Ecclesiæ nam ut jure ordinario in parochianos nullus alius, sed solus ac unicus parochus, prædictam habeat curam. Nota III scilicet ut *perpetuum* rectorem habeat, ex Trident. sess. XXIV, *de Reform.* cap. xiii, ibi: « Mandat sancta synodus episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique parochiæ suum perpetuum peculiarem parochum assignet, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant; aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. »

Quamvis Pignatelli, tom. IV consult. 143, n. 13, apud D. Bouix, *Tract. de parochia*, Parisiis, Lecoffre, 1835, pag. 220, ad hunc locum Tridentini dicit: « Quod concilium non præcise arctat episcopos ad institutionem perpetui parochi, adeo quidem ut non possint alio utiliori modo providere; » dicendum cum Rota, in decisione diei 23 junii 1642, apud laudatum D. Bouix, *ibid.* pag. 411, quod *regulariter* status beneficii curati est perpetuus. »

Synodus diocesis Montisfalisci et Corneti in Italia, anno 1710 celebrati, sic se habet cap. viii, n. 5: « Ipsa vetus Ecclesia ejusmodi temporariis ministris (vicariis revocabilibus) parum fident. Pro varia rerum necessitate per ecclesias et titulos sive urbis sive rusticos delegare primum consueverat presbyteros, eosque pro nutu revocare; at visum deinde est longe utilius aliquos ibi constituere qui perpetuo ministrarent. Suum quælibet ecclesia ex antiquissimo more perpetuum ac peculiarem habeat pastorem eximiam non facile lassandæ sollicitudinis... stabiles igitur sint animarum curatores et immobiles, abundantes in omni opere bono. »

Unde quando a Papa committitur facultas erigendi omnes parochias in diocesi de novo erecta, ut factum est pro Galliis annis 1801 et 1802, illa facultas intelligi debet de parochiis proprie dictis, quarum cura perpetuis rectoribus assignatur. Porro, de facto, inter parochias tunc temporis erectas quamplurimæ, sub nomine *succursalium*, rectoribus ad nutum amovibilibus gubernandæ traditæ fuerunt ac etiamnum traduntur. Multis abhinc annis, quoad regimen istud sic apud nos invecitum, graves controversiæ exortæ sunt quas episcopus Leodiensis in Belgio ad Sedem apostolicam, anno 1845, dirimendas detulit his verbis:

« Beatissime Pater; infrascriptus episcopus Leodiensis omni qua decet veneratione humillime petit ut examinetur sequens dubium, sibi que pro conservanda in sua diocesi unitate inter clericos, et Ecclesiæ pace, communicetur solutio.

» An, attentis presentium rerum circumstantiis, in regionibus in quibus, ut in Belgio, sufficiens

legum civilium fieri non potuit immutatio, valeat et in conscientia obliget, usque ad aliam Sanctæ Sedis dispositionem, disciplina inducta post concordatum anni 1801, ex qua episcopi rectoribus ecclesiarum, quæ vocantur succursales, jurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi, si revocentur vel alio mittantur, teneantur obedire.

» Cæterum episcopi hæc rectores revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter et non nisi prudenter ac paterne uti solent, adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest in hisce rerum adjunctis, satis consultum videatur.

» CORNELIUS, episcopus Leodiensis. »

Responsum fuit: « Ex audientia Sanctissimi, die prima maii 1845. Sanctissimus Dominus Noster, universæ rei de qua in precibus ratione mature perpensa, gravibusque ex causis animum suum moventibus, referente infra scripto cardinali S. Congregationis concilii præfecto, benigne annuit ut in regimine ecclesiarum succursalium de quibus agitur nulla immutatio fiat, donec aliter a Sancta apostolica Sede statutum fuerit.

» P. card. POLIDORIUS, præf. A. Tomassetti, subsecret. »

Notanda sunt verba hæc: I. *benigne annuit*, si regimen de quo controversit esset juri consentaneum benigno Pontificis assensu non indigisset; II, *Donec aliter statutum fuerit*, quæ clausula confitetur æquivalenter ad jus redeundum esse quando, de iudicio Sedis apostolicæ, opportunitas sese dederit. Præterea, utrum reipsa non frequenter, et non nisi prudenter et paterne, revocentur aut transferantur parochia mobiles, ita ut sacri ministerii stabilitas remaneat, ipsa facta conspicienda et interroganda sunt, præsertim in quibusdam Galliarum regionibus.

Circa præsentem questionem audiantur concilia recens apud nos celebrata.

Concilium Suessionense, anno 1849 celebratum tit. XV, cap. 1, sic se habet: « Hæc inducta fuit post concordatum disciplina, quod illi, qui proprio nomine ecclesiarum parochialium curam gerunt, non omnes sint titulares seu inamovibiles; nec dubium est, ut patet ex declaratione Summi Pontificis Gregorii PP. XVI, huic consuetudini esse obtemperandum, donec aliter a Sede apostolica statutum fuerit; cum præsertim, in hac temporum nostrorum difficultate, diversas habeat utilitates, et aliunde ipsi recens ordinati statim ad regimen parochiarum vocentur, etiam antequam experientiam competentem vitamque sufficienter probatam habeant; plerique enim non possunt vicarii munus exercere, deficientibus ad hoc congruis dotationibus. Nihilominus, quoniam paucissimæ sunt ecclesiæ titulares, quibus nempe annexa fuit inamovibilitas, atque titulum reclamant, videntur ipsa plurimum aliarum ecclesiarum antiquitas, simul ac fidelium numerositas, necnon plurimum rectorum merita, peroptandum sane est ut in omnibus et